

DISCVRSVS EPISTOLICVS

DE
NECESSARIA ACTIONVM
HOMINIS LIBERARVM EXSI-
STENTIVM EXSISTENTIA



QVEM
VIRO PRAECELLENTISSIMO
PRAECLARISSIMOQVE,
DOMINO

IOACHIMO GEORGIO
DARIES,

PHILOSOPHIAE MAGISTRO DOCTISSIMO, AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS ADIVNCTO RECENS IN-
AVGVATO DIGNISSIMO,
AMICO CONTERRANEO CERTISSIMO,
FAVTORI PLVRIMVM COLENDO,

CVM PRO
PERPETVA IPSIVS FELICITATE
A. M DCC XXXIX. D. III. FEBR.

*MUSICOS INTER CONCENTVS VOTA
AMICORVM*

*PUBLICA SOLVERENTVR,
PVBLICVM INTEGERRIMI AMORIS SVI DOCUMENTVM
ESSE VOLVIT*

M. THOMAS CHRISTOPH.
LVGER.



IENAE LITTERIS CROEKERIANIS.

Philos.

C.

214,62



§. I.



Posita ratione sufficiente ponitur id, cuius est ratio sufficiens (per Ontol.); ubi existente ratione sufficiente existit id, cuius est ratio sufficiens, ibi posita ratione sufficiente ponitur id, cuius est ratio sufficiens, E. ubi existit ratio sufficiens, ibi existit id, cuius est ratio sufficiens.

§. II.

Idem simul esse & non esse involvit simultaneam affirmationem & negationem, E. involvit contradictionem, E. est impossibile. Quicquid existere & simul non existere dicitur, id simul esse & non esse dicitur, E. existere aliquid & simul non existere est impossibile. Ubi ratio sufficiens existit, ibi id, cuius est ratio sufficiens, existit (§. I.), E. existente ratione sufficiente id, cuius est ratio sufficiens, non existere est impossibile. Impossibile esse vel fieri nequit (per Ontol.), E. esse vel fieri nequit, ut existente ratione sufficiente non existat id, cuius est ratio sufficiens. Quemadmodum *necessarium* dicitur, cuius oppositum est impossibile, ita *existere necessario* dicitur, quod ita existit, ut non-existentiam ejus ceu existentia oppositum dari sit impossibile. Ubicunque esse vel fieri non potest, ut aliquid non existat, ibi impossibile est esse vel fieri, ut non existat (non po-

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

potest enim esse vel fieri, & impossibile est esse vel fieri prorsus synonyma sunt), E. impossibile est esse vel fieri, ut existente ratione sufficiente non existat id, cujus est ratio sufficiens. Si impossibile est esse vel fieri ut non existat id, cujus ratio sufficiens existit, impossibile est, ejus non-existentiam dari. E. id, quod existente ratione sui sufficiente existit, *necessario existit*.

§. III.

Actiones hominum existentes *liberas* dico, quæ per libertatem mentis eorum determinatæ existunt. *Necessarias* oppositam rationem habere per se quisque intelligit. Cum actiones hominum existentes liberæ per libertatem mentis eorum determinatæ existant, *libertatis* definitionem suppeditare, & in præsentî tractatione excutere methodi lex postulat. Suppedito hanc, satis, ni fallor, perspicuam omnibus futuram. *Libertas* est facultas mentis ex pluribus æque possibilibus id eligendi, seu ad illud sponte se determinandi, quod ipsi maxime placet. Quodsi igitur existunt in mundo actiones hominum liberæ, actiones hominum dantur, quas ex pluribus æque possibilibus elegit, s. ad quas sponte se determinavit mens humana, quatenus sibi maxime placebant.

§. IV.

Actiones hominum liberæ ex pluribus *æque possibilibus* eligit mens humana (§. III.) Possibile est vel intrinsece vel extrinsece tale. Intrinsece possibile habet notionem possibilem. Extrinsece possibilis character in eo consistit, quod ab ente a se diverso ratione existentia salvis circumstantiis omnibus determinari possit. Quicquid non habet notionem possibilem, ejus ingredientia simul sumpta contradictionem involvunt, adeoque est impossibile intrinsecum. Impossibile intrinsecum existere nequit, E. quicquid non habet notionem possibilem, illud existere nequit. E. nullum existere potest, quod non habet notionem possibilem, s. quod non est intrinsece possibile, E. omne, quod existere potest, est intrinsece possibile. E. ubi existit actio hominum libera, illa est intrinsece possibilis. Porro: omnis libera hominum actio per essentiam suam non existit, sed ubi existit, existentia suæ rationem extra se habet, seu in ente a se diverso, quippe in hominibus eorumque vi agendi in actum deducta, circumstantiis quibuscunque externis consentienti-

bus; quicquid autem rationem existentiae suae extra se, seu in ente a se diverso quodam habere, vel determinari ab ipso ratione existentiae potest consentientibus circumstantiis omnibus, illud est extrinsece possibile. E. ubi existit actio hominum libera, ea est etiam extrinsece possibilis. Iam cum actio hominum libera ex pluribus aequae possibilibus eligatur, haec, ex quibus eligitur, & intrinsece & extrinsece debent esse in eodem casu possibiles.

§. V.

Actiones hominum liberae, ubi existunt, debuerunt *eligi*, siue sponte se ad eas determinare debuit mens humana (§. III.). Ad quamcunque actionem mens humana se determinat, illius existentiam adpetit, & ad quamcunque sponte se determinat, illius existentiam sponte adpetit. *Spontaneitas* est principium sese ad agendum determinandi intrinsecum. Ad quamcunque igitur actionem sponte se determinat, siue cuius existentiam sponte adpetit mens humana, illius existentiam adpetit, quatenus actus adpetitionis vi mentis propria ex eadem elicitur. Ubi actus adpetitionis vi mentis propria ex eadem elicitur, ibi ex eadem elicitur nulla vi externa. E. actiones hominum liberae, ubi existunt, existunt, cum existentiam earum adpetierit mens humana actu adpetitionis a nulla vi externa dependente. Ubi nulla vis externa, ibi nulla coactio. Actiones igitur hominum liberae, ubi existunt, per coactionem non existunt.

§. VI.

Actiones hominum existentes liberae eliguntur (§. III.), E. easdem adpetit mens humana (§. V.), E. se ad eas inclinatur pro ratione boni in iis cogniti (per def. adpetit.), E. ratio sufficiens adpetitionis est bonitas earum cognita. Sed eas praeter ceteris adpetit (§. IV.), E. ratio sufficiens adpetitionis earundem nec ceterarum est maior earum bonitas repraesentata, siue repraesentatio bonitatis omnium maximae. Quicquid maxime nobis placet, inde maximam percipimus voluptatem, unde maximam voluptatem percipimus, id ad statum nostrum relatum maximum bonum esse iudicamus (per principia Psychol.) & v. v. E. quod mens humana praeter ceteris adpetit, id praeter ceteris ei maxime placet. E. quas actiones praeter ceteris adpetit, siue eligit mens humana, illae praeter ceteris maxime ei placent. E. ratio
suf-

sufficiens electionis earundem est maximum in iis beneplacitum, siue eas eligit mens humana, *quatenus sibi maxime placent* (§. III.).

§. VII.

Actiones hominum liberae, ubi existunt, non existunt per coactionem, sed mente humana sponte eas adpetente (§. V.), praeter ceteris in eodem casu aequae possibilibus actionibus (§. IV.), cujus adpetitionis ratio sufficiens fuit major earum bonitas continuo & in ultimo iudicio practico representata, siue maximum in iis beneplacitum continuatum (§. VI.), unde ratio sufficiens adpetitionis ceterarum tollebatur. Cum enim generatim adpetamus quod bonum est, bonum minus autem respectu boni maioris pro malo habeatur, malum vero non adpetamus, sed aversemur, ubi bonum maius menti nostrae occurrit, boni minoris adpetendi rationem sufficientem exspirare, quin potius converti in rationem sufficientem, intuitu boni maioris, averfandi illius, in propatulo est. Ubi ratio sufficiens existit, ibi id, cujus est ratio sufficiens, necessario existit (§. II.). E. in quibus actionibus mens humana maximam bonitatem sibi representat, siue maximum beneplacitum percipit, eas, quamdiu in illis maximum percipit beneplacitum, necessario adpetit. In quibus actionibus maximam bonitatem sibi mens humana representat, siue maximum beneplacitum percipit, eas necessario adpetit, quamdiu illud maximum beneplacitum obtinet; Atqui in liberis, quae existunt, hominum actionibus maximam bonitatem sibi representavit mens humana, siue maximum beneplacitum percepit (§. VI.), E. eas necessario adpetiit, quamdiu maximum illud beneplacitum occupavit mentem. Sed liberae, quae existunt, hominum actiones, existunt per libertatem mentis humanae determinatae (§. III.), E. a mente humana, adpetitae (§. V.). Cum igitur eas necessario adpetierit mens humana, quatenus eas adpetiit, siue quatenus existentia earum a maiori beneplacito, quamdiu obtinuit, necessario fuit determinata, constituto semel per naturam hominum hoc representationum & adpetitionum nexu, *necessario illae existunt.*

§. VIII.

Non aliam hic defendo necessariam actionum hominis existentium liberarum existentiam, quam quae, cum ab adpetitione mentis de-

de-

dependeat, quæ determinatur per beneplacitum maximum continuatum, omni ævo a Philosophis defensa fuit præstantissimis, *necessitatis existendi moralis*, distinctæ a necessitate existendi physica, quæ actionibus *necessariis* competit, & prorsus cum hac, a necessitate existendi absoluta, qualis est solius DEI, Autoribus æterna laude dignissimis, adstipulante Ill. CHRISTIANO WOLFIO, quippe qui in Metaph. Germ. §. 521. ex vero pronuntiat; „daß ohne diese Art der Nothwendigkeit (welche man die Nothwendigkeit der Sitten genennet habe) keine Gewißheit in der Sitten-Lehre zu hoffen sey.“ Tantum vero abest, ut sibi ipsi Philosophus contradicat, & post eum recentiores alii refragentur, quando actiones hominum existentes liberas ita necessario existere omnibus viribus negatum eunt, ut a mente humana adpetitæ non potuerint non existentiam consequi, ut potius alia hæc ratione dici putari debeat. Et huc quidem redit doctissimorum virorum sententia, fieri omnino potuisse, ut menti humanæ sub ipsam liberæ cuiusdam existentis actionis adpetitionem novæ maioris boni repræsentationes ortæ fuissent, unde, cum ex maiori bono cum ceteris minoribus collato maximum in maiori bono beneplacitum enascatur, actionem tum existentiam reddendam, sub ratione vero mali nunc repræsentatam, adeoque displicentem in posterum fuisset averſata, seque ab omni in existentiam eius influxu studio abstinuisset. Huc inquam sententia redit, nec ipsi tamen WOLFIO, nec mihi, qui in adstruenda necessaria actionum liberarum existentium existentia versor, contraria. Enim vero, quod ad me attinet, loquor de actionibus hominum liberis existentiam nactis, non *quæ* existentiam nactæ fuerunt, sed *quatenus* eam nactæ fuerunt. Scilicet *quatenus* eam nactæ fuerunt, debebat maximum ex iis beneplacitum percipere, sive ut bonum maximum inter reliqua tum temporis acquirenda sibi repræsentare mens humana; *quatenus* vero ita sibi actiones repræsentat, eas *necessario* adpetit, & *quatenus necessario* adpetit, atque in adpetitionibus perseverat, ut conatus fiant continuati, illæ actiones existunt *necessario*. Ubi autem nova actio magis placet, sive actio nova menti occurrit bonitate sua reliquas præstare cognita, ibi reliquæ non ut bonum maximum repræsentantur, nec maximum ex iis beneplacitum mens humana percipit, E. neque adpetuntur, neque existunt, sed potius non existunt *necess-*

ces-

cessario. Interim si qui ex sono vocabulorum occasionem stomachandi arripere adsvecti fuerint, spreto *necessitatis* vocabulo *certitudinis moralis* Synonymica voce hac omni in materia sibi faciant satis.

§. IX.

Hisce, VIR PRACELLENTISSIME, inter tot tamque lætos amicorum Tuorum bene TIBI precantium, suæque amicitiae fidem publicis plausibus facientium strepitus officio meo *utcumque* saltem satisfacere volui, debui. Volui, quia debui, debui, quia dudum TE amare debui. Tanta enim est perfectionum Tuarum multitudo, tamque grata earundem consensus, ut non potuerim non summam ex intuitu istarum voluptatem capere. Intuitum concessit Salana nostra florentissima, ut in amplificandis studiorum meorum profectibus, ita in dispensandis reliquis, quæ vitam exornant, & omni bonorum genere adfluentem reddunt, benignissima. Equidem multo ante, quam nomen Musis Salanis profiteri daretur, in cognitionem perfectionum Tuarum claram atque distinctam veni, cum non solum honorificentissime de TE senserint & egregia quævis copiose & eleganter mihi retulerint testes idonei, Patrios Lares repetentes, sed ipse quoque ex scriptis Tuis per orbem eruditum volitare iussis argumentatione ab effectu eximio ad causam eximiam facta, qua nobiliorem perfectionum Tuarum partem fidem oculatam reciperem, tamen cum Tuos Ienæ amplexus subire, amicitiam temporis & locorum iniuria collapsam redintegrare, & quotidiana ferme conversatione TEcum vivere licuerit mihi esse tam beato, cognitio maximarum Tuarum perfectionum ad summum usque claritatis & certitudinis gradum perducta est. Laudo TE virum divinarum humanarumque legum observantissimum, bonum, honestum, pium, amicis faventissimum. Doctum TE laudent alii, commendent eruditi, prædicent Auditores, diversarum nationum uno plures, concelebret integer Musarum chorus, dicta & scripta Tua, sublimioris scientiæ specimina, ipsa loquantur. O TE egregium virum, virtutis & eruditionis perfecta laude dignissimum, Fautorem & amicum meum, quem habeo, unice unum! Adsis iam MI DARIESI OCELLE, & delatam TIBI nuper ab Amplissimo Philosophorum nostrorum Ordine dignitatem, qua Assessoris Facultatis Phi-

Philosophicæ titulo honestissimo condecoratus es, me TIBI gratulantem serena fronte contuearis. Gratulor TIBI dignitatem, & quidem ex animo gratulor. Gratulor non qua delatam, sed qua merito TVO solo delatam, virtute & industria prorsus singulari partam; non qua talem simpliciter, sed qua novi honoris præconem, præmiorumque & gloriosorum & Iucundorum, quemadmodum TE amplius fata TVA non fugiunt, vatem dulcissimum. Gratulor ergo TIBI dignitatem Tuam ratione ꝛ quia, & ꝛ quatenus. Gratulor eam TIBI, simulque precibus ardentissimis DEO T. O. M. omnium bonorum Distributori, omniumque eventuum mundanorum Gubernatori commendo. Annuat illis benignissimum hoc in cœlis Numen, meque votis meis damnet. Ita enim persuasum habeas velim fore, ut in omni variabilis huius mundi catastrophe a calamitatibus tristiumque malorum periculis non solum sis immunis, sed potius ob continuo TIBI succedentes TEque bonis præstantissimis cumulate locupletantes experientias, quarum series ordiantur, quæ parata TIBI præmia cito pede advectum eunt, in statum intensissimi ac durabilis gaudii delabaris. Ita ego etiam futurum arbitror, ut TVO ergo me exemplo demonstrares, indefinite posito Veterum proverbio: *Honores mutant mores, universalitatem falso tribui.*

